

(2) *Homicidium necessarium alterius defendendi causa suscepum :* ut si quis alterum in vita discrimine constitutum juvare, & cum adversarii interitu eum defendere velit, sive in periculis constitutus sit defensori sanguine conjunctus, vel planè extraneus, *Jul. Clar. l.s. §. Homicidium. num. 26. 27. & 28. fol. 392.* *Decius Cons. 469. num. 3. & 4. f. 509.* Modò tamen hic quoque moderamen inculpatæ tutelæ , de quo supra est actum , observetur. Quod autem liceat alterum in vita angustiis constitutum defendere, illud postulat ratio officii, quod homines sub communi lege naturali viventes sibi invicem devincti sunt ad conservandam illam societatem naturalem.

(3) *Homicidium à furioso commissum*, nam ad homicidium punibile requiritur dolus, qui supponit animum occidendi deliberatum, qui sanè in furioso deficit, quippe qui nescit, quid agat. Quandoquidem fati infelicitas eum excusat, unde etiam pro absente, ignorante, & mortuo in omnibus habetur. *Francisc. Vivius. lib. 1. Commun. Opinion. in verbo Furiosus pr. fol. 307.* Et furor ipsi satis est loco pœnae, *l. ult. ff. ad L. Pompei, de Parricid.*

(4) *Homicidium ab infante commissum*, nam & illud est extra pœnam, quoniam innocentia consilii infantem tuetur, *l. 12. ff. ad L. Cornel. de Sicar. Infans enim per ætatem non intelligit, quid agat, l. 1. C. de falsa moneta.* Unde si quempiam occidat, illud homicidium non pro doloso, neque etiam pro culpo, quippe quod scientiam facti importat, sed pro casuali habendum erit.

(5) *Homicidium ratione officii commissum*, ut si minister publicus mittatur ad aliquem captivandum, reus autem armis resistat, & judicis præcepto parere nolit : tum si occidatur à ministro, illud homicidium est extra legis pœnam. De quo dixi *ad Artic. 142.* Copiose & eruditè hoc argumentum pertractaverit *Modestin. Pistor. Vol. 1. Cons. 4. f. 42. per 101.* Ratio est, quia officii necessitas illum hominem excusat. Unde etiam sæpe quibusdam injungitur, ut reum vel vivum vel mortuum fiant : adeoque non abhorreat à judicis autoritate, quin ejusmodi immotigerum, si sponte parere nolit , vi adhibita cogere possit, sed de hoc dixi supra. Addi poterit *Jul. Clar. l.s. sentent. §. Homicidium n. 73. f. 400.* Huic adjungit *Gilhauf. ad h. art. f. 51. Creditorem*; quippe & cui licitum est debitorem fugientem , & telo aliisque armis se defendantem occidere. *Damhoud, Prax. Crim. c. 78. n. ult. fol. 77.*

(6) Ho-